



## **Acta sanctorum**

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae  
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies tertius et quartus continentur

**Bolland, Johannes**

**Parisiis et Romae, 1866**

Caput III. Reliqua miracula.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72907](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72907)

A Collia vero mulier de Camerino *l*, cum esset dexteri oculi lumine privata ex toto, pannum, quem beatus Franciscus tetigerat, parentes ejus super perditum oculum posuerunt, et sic, voto facto, de recuperato lumine Domino Deo et sancto Francisco gratias persolvunt. Simile aliquid cuidam mulieri de Eugubino \* accidit, quæ, voto facto, pristinam sanitatem rehabere lætatur. Civis quidam de Assisio, per quinquennium perditum lumine oculorum, qui \*, cum adhuc viveret, beatus Franciscus familiaris fuerat, ei semper, cum oraret, pristinam familiaritatem commemorans, ad tactum sepulcri ejus extitit liberatus. Albertinus quidam de Narnio fere per annum oculorum lumen ex toto amiserat, ita quod palpebræ usque ad genas dependerent : qui beato Francisco se vovit, et statim, lumine reparato, ad gloriosum sepulcrum ejus visitandum se preparans devenit.

Energumenus ad Sancti tumbam liberatus, m

157 Vir erat in civitate Fulginei, nomine Petrus, qui dum vice quadam ad visitanda limina beati Michaelis archangeli *m*, sive ex voto, sive ex poenitentia sibi injuncta, pergeret, ad fontem applicuit. Qui cum ex lassitudine itineris sitiret, illius fontis aquam degustans, visum est sibi demones imbibisse. Sicque per tres annos ab ipsis obsessus, horribilia visa et dicta pessima faciebat. Veniens quoque ad tumulum beatissimi Patris, furentibus demonibus et crudelissimè discerpentibus eum, claro et manifesto miraculo ad tactum sepulchri ejus mirifice liberatus est.

atque demonum vexationibus erepti.

158 Mulier quædam in civitate Narnii cum furia maxima duceretur, et, mente perditâ, horribilia faceret, et inconvenientia loqueretur; apparuit ei tandem beatus Franciscus in visione dicens : Facias tibi crucem. Et respondente illa : Non possum; Sanctus illi signum crucis impressit, et omnem fugavit ab ea insaniam passionis et dæmoniâ fantasmâ. Viri quoque multi et feminae, variis dæmonum cruciatu supplicis et decepti præstigiis, ab ipsorum potestate sancti et gloriosi Patris præclaris meritis sunt expediti. Verum quia illud hominum genus sæpe solet implicare deceptio falsitatis, de his nos breviter expedientes, ad maxima transeamus.

## ANNOTATA.

a Sunt ergo hæc miracula authentica, diligentè scilicet examine discussa, et a probis testibus probata et comperta. De iisdem ita loquitur Alexander IV Papa in litteris anno 1233 die 29 Octobris datis, relatisque in Bullario Franciscano tom. II, pag. 85 et sequenti : Multis cum (forte eum, Franciscum scilicet) divina potentia adhuc militantem inter homines, et demum in Sanctorum agminibus triumphantem, dignata est clarificare miraculis, quæ felicis record. Gregorius Papa, prædecessor noster, ne illa vel perverteret amula sanctitatis iniquitas, vel oblivionis digitus, qui rebus gestis cito superducitur, aboleretur, solertissimis inquisitionibus indagata, et comperta fidelissimis documentis, fecit ad laudem Dei, et augmentum fidei, et instructionem salubrem, tam præsentium, quam etiam futurorum, monumentis perpetuis commendari. Monumenta hæc Bullarij editor Sbaralea ibidem annotavit, hoc ipsum Thomæ Celanensis Opusculum esse; quod mihi quoque verisimillimum apparet, nisi forte sint aliud instrumentum, ex quo ille miracula descripsit.

b Ex hoc loco dubitari potest, an Sancti corpus ante primam sepulturam suam unguentis fuerit inunctum; qua de re tamen apud alios biographos nulla fit mentio.

c Narnia, incolis Narni, Pontificiæ ditionis in Umbria civitas episcopalis est, ad Narem fluvium.

d Fulginium, Italicæ Foligno, similiter episcopalis civitas Umbræ est, et ditionis Ecclesiæ.

e Hanc voculam, quæ in apographo nostro desideratur, adscripsi.

f Fanum, de quo hic, alias Fanum Fortunæ, Italicæ Fano dictum, Umbræ civitas episcopalis est Octobris Tomus II.

ditionis Pontificiæ, in littore maris Adriatici inter Pisaurum et Senogalliam sita.

g Id est, ex civitate Eugubio, cujus brevem notitiam supra jam dedi; nec in posterum de locis, quorum notitia præmissa est, hic quidquam annotabo, ne frustra prolatus sim.

h Verisimiliter indicatur mons et vicus in Sabiniis, paucis milliariibus ab urbe Reatina distans, Italicæ Monte Nero dictus.

i Leander Albertus in Descriptione Italiæ Castrum vel Castellum Cuccaro memorat in Lucania seu Basilicata, quatuor milliariibus a littore distitum. Hocne, an aliud hic per castrum Cuccoranum indicetur, incertum mihi est.

k Spello, Latine Hispellum, oppidum Umbræ est ditionis Pontificiæ.

l Camerinum civitas episcopalis est ditionis Ecclesiæ in Marchia Anconitana.

m Nimirum ad Montem Garganum in Apulia, S. Michaelis archangeli apparitione celebrem.

AUCTORE  
THOMAS CELAN.

## CAPUT III.

## Reliqua miracula.

Puer quidam, Matthæus nomine, de civitate Tuderterti *a*, per octo dies quasi mortuus in lecto jacens, ore penitus intercluso et lumine oculorum sublato, cute vultus, manuum ac pedum ipsius ad modum ollæ totaliter denigrata, et de salute vitæ ejus ab omnibus desperatus, ad votum matris suæ mirabili velocitate convaluit. Emittebat enim marcidum sanguinem per os suum, per quod etiam credebatur emittere intestina. Statim vero, ut mater ejus S. Francisci nomen flexis genibus invocavit, surgens \* ab oratione, cepit puer oculos aperire, lumen videre, ac sugere mammas; et paulo post decedente corio nigro, caro pristina rediit, et convalescentiam viresque resumpsit. Protinus namque, ut convalescere cepit, interrogavit eum mater ejus, dicens : Quis te liberavit, fili? Et ille balbutiendo respondebat : Ciccū, Ciccū. Non enim poterat propter infantiam plene loqui, et ideo nomen beati Francisci sic loquens dimidiabat.

iv.  
Puer morti proximus mirabili modo subito convalescit : a

E

\* i. dum surrexit

140 Juvenis quidam, cum in quodam altissimo loco moraretur, ex eodem loco corruens, loquelam et omnia membrorum officia perdidit. Tribus quoque diebus non manducans neque bibens, neque aliud sentiens, mortuus credebatur. Mater vero illius nullorum medicorum requirens suffragium, a B. Francisco ejus postulat sanitatem. Et sic, voto facto, vivum eum recipiens et incolumem, laudare cepit omnipotentiam Salvatoris. Alius quidam, Martinus nomine, infirmatus ad mortem, et de liberatione sua penitus ab omnibus desperatus, invocato utcumque nomine beati Francisci, subita sanitate convaluit. Puer quidam de Aretio *b*, Galterus nomine, continuis febribus laborans, et duplici apostemate cruciatus, ab omnibus medicis desperatus, voto parentum beato Francisco exhibitio, concupitè restitutus est sanitati. Alius vero morti propinquus, facta imagine cerea, priusquam perfecta esset *c*, ab omni passione in continenti extitit liberatus.

juvenis elapsu, alii aliter de vita periclitantes sanantur :

F

b

c

141 Mulier quædam per plures annos in lecto infirmitatis suæ decubans, nec se aliquo modo valens volvere, vovit se Deo et beato Francisco, et ab omni liberata est aegritudine, et implevit necessaria officia vitæ suæ. In civitate Narniensi quædam mulier erat, quæ per octo annos manum sic habuit desiccata, quod nihil cum ea posset operari. Tandem beatus Franciscus per visionem apparuit, et manum ejus extendens, alteri adæquavit. Juvenis quidam in ea civitate per decem annos gravissima infirmitate detentus, totus erat immobilis effectus, ita quod ei nulla prodesse poterat medicina. Qui meritis beati Francisci, voto a matre emisso, statim recepit commodum sanitatis. Erat in civitate Fanensi quidam Hydropisis morbo detentus, cujus membra erant horribiliter tumefacta :

alii ab aliis infirmitatibus

AUCTORE  
THOMA CELANO:  
d

qui per beatum Franciscum ab eadem infirmitate plene meruit liberari. Civis quidam de Tuderto in tantum gutta arthritica *d* gravabatur, quod nec sedere poterat, nec quiescere ullo modo. Tantum ei dicta passionis vehementia frigus præstabat continuum, quod totus ad nihilum redigi videbatur. Vocavit medicos, multiplicavit balnea, medicinas adhibuit multas, nec tamen ullo modo potuit horum remedio sublevari. Die vero quadam, quodam sacerdote præsentate, votum emisit, ut sanctus Franciscus ei pristinam redderet sanitatem, sicque precibus ad ipsum fuis, mox se conspexit pristinae redditum sanitati.

per ejusdem  
Sancti opem  
evadent inco-  
lumes.

142 Mulier quædam in Eugubii civitate paralytica jacens, tertio invocato nomine beati Francisci, ab infirmitate sua dimissa est et sanata. Quidam, nomine Bantadosus, cum in pedibus et manibus sustineret gravissimam passionem, ita quod nec movere se poterat, nec ad partem aliquam declinare, cibo jam perditto atque somno; mulier quædam die quadam venidit ad eum, monens et suggerens, ut, si ab hac infirmitate vellet citissime liberari, beato Franciscus se devotissime devoveret. Respondebat autem vir ille: Non credo, ipsum esse Sanctum. Muliere illi pertinaciter devote suggerente, vir ille tandem se vovit in hunc modum: Voveo me (inquit) sancto Franciscus, et ipsum credo Sanctum, si me infra trium dierum terminum ab hac agitudine liberabit. Qui meritis Sancti Dei mox liberatus, ambulavit, requievit et manducavit, dans gloriam omnipotenti Deo.

Apparens vul-  
nerato, docet  
modum extra-  
hendi sagit-  
tam;

145 Vir unus, cum esset in capite sagitta ferrea graviter vulneratus, et sagitta illa intrans per cassam oculi *e*, remansisset in capite, nullo poterat medicorum auxilio adjuvari. Vovit se deinde devotione sancto Dei Franciscus, sperans, se posse illius suffragio liberari. Qui, dum aliquantulum quiesceret et dormiret, dictum est ei a sancto Franciscus in somnis, quod per posteriorem partem capitis faceret eam trahi: sicque, prout in somnis viderat, die sequenti faciens, sine difficultate magna extitit liberatus.

herniosum  
curat;

144 Homo quidam in castro, Spelli *f*, nomine Imperator, per duos annos rupturam adeo graviter passus est, quod per inferiores exitus intestina omnia defluebant, neque poterat per magnum temporis spatium ea intus reducere et nec locare, ita quod eum habere unum plumatum *g*, oportebat, in quo intestina interius retineret. Recurrit ad medicos ipsorum solatium petens, qui dum ab eo pretium insuliciens *h* postularent, cum unius diei expensis careret et victu, de illorum auxilio penitus desperavit. Convertit se tandem ad divinum auxilium, et merita beati Francisci cepit in via, in domo, et ubicumque foret, suppliciter invocare. Sicque factum est in brevi temporis spatio per Dei gratiam et beati Francisci merita, ut integræ foret restitutus sanitati.

item laboran-  
tem in illis vel  
costis sanat.

143 Frater quidam in Marchia de Ancona, sub obedientia nostræ Religionis militans, in illis vel costis gravissimum morbum fistulæ tolerabat, ita quod ab omni curatione medicorum ob immensitatem morbi jam fuerat desperatus. Petiit deinde a Ministro, sub cujus obedientia morabatur, licentiam veniendi ad visitandum locum, in quo corpus beatissimi Patris quiescebat, gerens fidem, per ipsius Sancti merita curationis suæ se gratiam adepturum. Minister vero ipsius cum prohibuit, dubitans propter nives et pluvias, quæ tunc temporis erant, ne magis ex itineris fatigatione incureret detrimentum. Cumque de non habita licentia frater ille aliquantulum turbaretur, nocte quadam sanctus pater Franciscus astitit, dicens: Fili, noli de hujusmodi de cetero anxari, sed exuere pelliceo, quo indueris, et emplastrum projice; observaque Regulam tuam, et liberaberis. Qui mane surgens, juxta præceptum ejus omnia fecit, et de subita liberatione gratias egit Deo.

\* an Otto

146 Apud Sanctum Severinum in Marchia de Ancona juvenis quidam erat, nomine Octo \*, qui

totus lepra infectus existens, medicorum judicio leprosus in omnibus habebatur. Omnia enim membra ejus tumefacta, ingrossata erant, et extensione et inflatione venarum inconvenienti cuncta aspectu cernebat. Non poterat ambulare, sed in lecto ægritudinis miser assidue jacens, parentibus suis dolorem atque tristitiam ingerebat. Pater vero ipsius dolore nimio sauciatus, quid de ipso ageret, nesciebat. Tandem venit in cor suum, ut beato Franciscus ipsum modis omnibus devoveret, et ait ad filium suum: Vis te, fili, vovere beato Franciscus, qui multis utique coruscet miraculis, ut ei placeat te ab hac agitudine liberare? Qui respondens ait: Volo, pater. Fecit statim pater ejus apportari papyrum, et filii statum faciens in longitudine ac grossitudine mensurata, Erige te, inquit, fili, et beato Franciscus te devove, et liberatione donata, candelam sibi tuæ longitudinis singulis annis, dum vixeris, apportabis. Qui ad jussum patris utcumque se erigens, junctis manibus, cepit beati Francisci misericordiam suppliciter invocare. Suscepta itaque mensura papyri et completa oratione, illico a lepra sanatus est, et surgens, dans gloriam Deo et beato Franciscus, cepit ambulare. In civitate Fani quidam juvenis, nomine Bonus-homo, qui a medicis universis habebatur paralyticus et leprosus, a parentibus suis beato Franciscus devote offertur, mundatus a lepra, et effugato morbo paralisis, plenam consecutus est sanitationem.

D  
v.  
Duo leprosi,  
quorum alter  
etiam erat  
paralyticus,  
curantur.

vi.  
Puer surdus et  
mutus natus

i

k

147 Apud Castrum Plebis *i* puer unus erat pauperimus et mendicus, qui ex toto mutus et surdus erat a nativitate sua, habebatque linguam brevissimam atque curtam, quæ multoties a pluribus exquisita, incisa penitus videretur. Sero *k* vero quodam accessit ad domum cujusdam viri ejusdem Castri, qui Marcus vocabatur, per signum, ut solent muti, ab eo petens hospitium. Inclinauit caput, ex latere maxillæ supponens manum, ut per hoc intelligeretur, quod nocte illa desiderabat hospitari cum eo. Vir autem ille hilariter suscepit eum in domo sua, et libenter tenuit eum secum; quia compententer famulabatur juvenis ille, et bonæ indolis erat puer. Quia, licet surdus et mutus esset a cunabulis, tamen quoque per signum noverat imperata. Cœnante viro prædicto nocte quadam cum uxore sua, astante puero coram eis, dixit uxori suæ: Hoc ego maximum miraculum reputarem, si beatus Franciscus huic auditum redderet et loquelam.

post factum a  
quodam  
votum auditu  
et loquela  
donatur.

F

148 Et adject: Voveo Domino Deo, si beatus Franciscus hoc dignabitur operari, propter amorem suum hunc puerum habeo charissimum, et expensas ei conferam toto tempore vitæ suæ. Mirum! Dicto completo, statim puer locutus est, dicens: Vivit sanctus Franciscus. Et subsequenter suscipiens, rursus ait: Video S. Franciscum hic superius stantem, qui venit, ut loquelam impendat mihi. Et adject: puer: O quid ego jam populo dicam? Respondit homo ille: Laudabit \* Dominum, et salvabit homines multos. Surrexit denique homo ille, gaudens et exultans multum, et quod factum fuerat, coram omnibus publicavit. Concurrunt omnes, qui eum prius viderant non loquentem, et admiratione repleti et stupore, laudes Deo et beato Franciscus suppliciter retulerunt. Crevit lingua illius et conveniens facta est ad loquendum, et quasi omni tempore puer fuisset locutus, cepit verba formata proferre.

\* f. laudabis

149 Alius quoque puer, nomine Ulla, nec loqui poterat nec ambulare, pro quo mater fidei voto certam imaginem faciens, ad locum, in quo beatus pater Franciscus requiescit, magna cum reverentia deportavit. Quæ domum regrediens, ambulatentem reperit filium et loquentem. Homo quidam in episcopatu Perusii, loquela et verbo privatus, omnino semper os ferens apertum, horribiliter oscitabat et anxiabatur. Habebat enim guttur valde tumidum et inflatum, Cumque pervenisset ad locum, in quo requiescit sanctissimum corpus, et per gradum ad sepulchrum ejus vellet attingere, sanguinem multum

Duo alii muti  
quorum unus  
insuper gressu  
privatus.

A multum evomuit, et peroptime liberatus, cepit loqui et os claudere, et, sicut expedit, aperire.

ac mulier arefacta lingua, atque alter surdus et mutus sospitantur.

an iapillus?

130 Mulier quædam tam magnum dolorem patiebatur in gutture, quod præ nimio dolore lingua adhaerens palato arida facta est. Non enim poterat loqui, non comedere, nec bibere, et emplastris appositis medicinisque adhibitis, nullam infirmitatis allevationem in his omnibus sentiebat. Tandem in corde suo, quia loqui non poterat, devovit se Sancto, et subito caro crepuit, et de gula egressus est capillus\* unus rotundus, quem manu suscipiens, et omnibus ostendens, mox extitit liberata. In castro Grecii juvenis quidam erat, qui auditum perdidit, memoriam et loquelam, nec erat intelligens vel sentiens quidquam. Parentes vero, quia magnam fidem habebant in sancto Francisco, ei suppliciter devotione dictum juvenem devoverant. Qui, expleto voto, cunctis, quibus carebat, sensibus affluenter gloriosissimi patris Francisci gratia est ditatus, ad laudem et honorem et gloriam Jesu Christi Domini nostri, cujus regnum, imperium solidum et immobile perseverat per omnia secula seculorum. Amen.

vii. Auctoris brevis epilogus.

131 Diximus pauca de miraculis beatissimi Patris nostri, et plura omisimus, relinquentes volentibus ejus vestigia novæ benedictionis gratiam, studium exquirendi, ut, qui verbo, vita, doctrina mundum omnem gloriosissime illuminavit, mentes diligentium nomen Domini semper dignetur supercaelestium charismatum novis imbribus irrigare. Obsecro propter amorem Nuperis crucifixi, et per sacra stigmata ejus, quæ beatus Franciscus portavit in corpore suo, universos ista legentes et audientes, ut coram Deo mei meminerint peccatoris. Amen.

Sanctus pater atque rectus  
Est Franciscus, caelo vectus  
Transmigrans a sæculo.  
Fit obliquus per hunc rectus,  
Et, qui ligno fuit vectus,  
Redit absque baculo.  
Per hunc dæmon est ejectus  
Sanitatumque profectus  
Confertur in populo.  
Qui repebat super pectus  
Firmus vadit et erectus  
Ejus adminiculo.  
Per hunc cæcus intuetur,  
Mutus loqui prohibetur  
Nec linguæ vinculo.

## ANNOTATA.

C a Tudertum, seu Tuder, vulgo Todi, Pontificæ ditionis in Umbria civitas est, episcopatu insignita.  
b Aretium, Italici Arezzo, episcopalis civitas Hetruriæ est, in dominio Magni ducis.

c Significat haud dubie, aliquem pro laborante vocisse imaginem ceream ad Sancti tumbam appendendam, et antequam imago illa perfecta esset, ægrum convalescere.

d Id, est arthritide.

e Cassa vox Italica, Latine capsula, arca, theca. Cassa oculi igitur est orbita seu cavum oculi, quia oculus in eo, velut in theca ossea, insertus est.

f Vide Annotata ad caput præcedens lit. k.

g Nescio, quid plumatum (quod apud sequioris ævi scriptores nunquam pro pulvinari usurpatur) hic proprie significet, nisi cingulum, quo heriosi utuntur.

h Hoc est, quantum infirmus nequibat sufficere, uti patet ex sequentibus.

i Duo hujus nominis loca in Italia reperi, unum vernacule la Pieve aut la Pieve di Cadore dictum, oppidum Cadubrii tractus caput in ducatu Fori Julii; alium, civitatem Umbriæ, de qua supra jam meminimus.

k Id est, vesperi.

## APPENDIX INEDITA

## AD VITAM PRIMAM,

Auctoribus Tribus ipsius Sancti Sociis,  
Leone, Rufino et Angelo,

Ex codice Ms. conventus Fratrum Minorum Lovanii in Belgio.

## PROLOGUS AUCTORUM.

Reverendo a in Christo patri, fratri Crescentio, Dei gratia generali Ministro, frater Leo, frater Rufinus, et frater Angelus, olim socii, licet indigni, beatissimi patris Francisci, reverentiam in Domino debitam et devotam. Cum de mandato Christi, præteriti capituli generalis et vestro b teneantur fratres signa et prodigia beatissimi Francisci, quæ scire vel reperire possunt, vestræ paternitati dirigere, visum est nobis, qui secum, licet indigni, fuimus diutius conversati, pauca de multis gestis ipsius, quæ per nos vidimus, vel per alios sanctos fratres scire potuimus, et specialiter per fratrem Joannem, visitatorem pauperum dominarum, fratrem Illuminatum de Arce, fratrem Masseum de Merignano, et fratrem Joannem, socium venerabilis patris fratris Egidii, qui plura de his habuit de eodem sancto fratre Egidio, et sanctæ memoriæ fratre Bernardo, primo socio c beati Francisci, sanctitati vestræ, veritate prævia, intimare, non contenti narrare solum miracula, quæ sanctitatem non faciunt, sed ostendunt; sed etiam conversationis ejus insignia, et pii beneplaciti voluntatem ostendere cupientes ad laudem et gloriam summi Dei, et dicti Patris sanctissimi, atque ædificationem volentium ejus vestigia imitari; quæ tamen per modum Legendæ non scribimus, cum dudum de vita sua et miraculis, quæ per eum Dominus operatus est, sint confectæ Legendæ d: sed velut de amœno prato quosdam flores, qui arbitrio nostro sunt pulchriores, excerptimus, continuantem historiam non sequentes, sed multa seriose relinquentes, quæ in prædictis Legendis sunt posita, tam veridico quam luculento sermone; quibus pauca, quæ scribimus, poteritis facere inseri, si vestra discretio viderit esse justum e. Credimus enim, quod, si venerabilibus viris, quæ præfatas confecerunt Legendas, hæc nota fuissent, ea minime præterissent, nisi saltem pro parte ipsa suo decorassent eloquio, et posteris ad memoriam reliquissent. Semper integre valeat vestra sancta paternitas in Domino Jesu Christo, in quo nos filios vestros devotos sanctitati vestræ recommendamus humiliter et devote. Data in loco Grecii in idus Augusti anno Domini mcccxlvi f.

## ANNOTATA.

a In apographo nostro ante Prologum ista leguntur: Hæc sunt quædam scripta per tres Socios B. Francisci de vita et conversatione ejus in habitu sæculari, de mirabili et perfecta conversatione ipsius, et de perfectione originis et fundamenti Ordinis in ipso et in primis Fratribus. De his auctoribus, quorum fidem ipsa hæc Appendix commendabit, consule Commentarium prævium § 1.

b Hoc capitulum generale Fratrum Minorum, cui præsedit Crescentius, Ordinis Minister, habitum fuit Januæ anno 1244. Ad eundem Commentarium num. 16 et sequenti.

c Ex his, quos dicendorum testes hic laudant Tres Socii, cætera ignotus mihi est Joannes, pauperum Dominarum, seu Clarissarum, visitator; Illuminatum S. Francisco apud Soldanum in Ægypto socium attribuit S. Bonaventura in Vita num. 154; sed hunc Waddingus alique a patria sua Aretinum, non de Arce appellant. Notior in Ordine est Masseus de Marignano, qui Menologio Franciscano Hueberi ad 17 Novembris inscriptus est, ubi de illius cultu poterit inquiri. Gesta B. Egidii, qui tertius S. Francisci

Causa, ratio et modus hujus Appendixis scribendæ exponitur.

a

b

E

c

d

e

f. qui

F

f